



DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.


QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis tertiâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXIV.

M. JOSEPHO-MARIA-FRANCISCO LASSONE, Regis in Sacro Consistorio Consiliario, S. Delphinæ Medico Primario, Censore Regio & Regiæ Scientiarum Academiæ, necnon Regii Medicorum Nanceianorum Collegii Socio Honorario, Doctore Medico, Præside.

An præcipuus febrium intermittentium fomes regio epigastrica?

I.



EBRE nullus frequentior morbus, malè definitur calor corporis adauctus, non bene excessus roboris functionum vitalium suprà animales, generalius conamen naturæ quo sese à materiâ morbificâ purgare tentat, rectè adaucta pulsûs velocitas, signum illius pathognomonicum. Generalis causa febris evecta magis cordis irritabilitas, sivè sympatheticè, sivè mediante quâdam acrimoniâ cujus nomine juxtà nos intelligenda venit ea humoris qualitas, quâ relativè ad functionem ipsius ope adimplendam, relativè ad subjectum cujus partim vitam constituit, nimia inferatur irritatio; causæ generalis totidem sunt argumenta causæ peculiares, symptomata, curatio frequentissimum victoriæ à naturâ relatæ pignus, sic victa sæpissimè eo quod victrix, prudenti medentis ministerio in debito cohibenda impetu, ab antiquis excolebatur dea.

Multiplex diſtinguitur febris, alia ſymptomatica, alia eſſentialis, alia lenta, ut in phtiſi, conſumptione, morbis pleriſque malignis, alia acuta à præcedenti ideò diverſa, quià cum ſenſibilitate vulgò vividiori ſemper ardet plethorica indoles, alia continua quæ nulli admodum manifeſtæ ſubjacet remiſſioni, ſic ephemera ſeu ſynochus ſimplex ab abuſu ſex rerum non naturalium oriunda terminandaque reſolutione cujus poſſibilitas in aliis morbis perperam admittitur, ſynochus extenſus criſi ſolâ ſolvendus, febris putrida in quâ acri cum inflammatione humores ad alkaleſcentiæ gradum majorem quam quem exigit ſanitatis ratio vergunt, eruptiva quæcumque, cui quidem ultimæ ſpeciei malè annumeratur purpurea ſolum male cautæ artis productum, alia remittens quæ manifeſtos habet paroxyſmos, ſic febris bilioſa, ardens, ſe ſe quam proximè referentes, alia intermittens cujus præcipuus fomes nobis videtur eſſe regio epigaſtrica; illius autem propoſitionis veritati demonſtrandæ incumbemus, dicendo 1°. quænam ſit præſtantior genuinæ morbi cauſæ cognoſcendæ ratio, 2°. noſtram in ſententiam militare media huic-ce cognitioni habendæ aptiſſima, quod ultimum patebit delineatâ priùs febrium intermittentium hiſtoriâ.

I.

MORBUS læſio functionis, ſic effectus cauſæ in ſtatu naturali non exiſtentis, ipſe-met cauſa phænomenôn quæ non offert ſanitas, mediis ei admodum oppoſitis debellandus, unà cùm ſanitate ſit ampliſſimi medicinæ circuli complementum; undè duplex illius diſciplinæ diviſio, Hygieine, & Iatrice prioris filia, adjutrix, ſub ſe complectens Pathologiam, & Therapeuticem ſibi mutua ad detegendum morbi genium præbentes auxilia. Cauſas enim enumerat, ſymptomataque explicat Pathologia peritiſſimis Aſtrucii, Gaubii, &c., ingenii vi non nunquam hypotheſes verſus abreptorum exculta manibus, à nobis verò hic breviſſimè, timido, genuino tamen theoriæ authorum practicorum obſervationibûs innixæ adumbranda penicillo.

Cauſa in genere ad functionem ritè peragendam requiſiti abſentia ſeu vitium, vel eidem juxtà ſanitatis leges perficiendæ repugnantis præſentia, multiplex in ſpecie admittenda; interna ſenſim ſine ſenſu œconomiæ animalis ſyſtema ſubvertit, protei ſæpiſſimè vices gerens, ſpecificorum ſolo alliganda vinculo; unde patet, definitio externæ faciliimaque hujus cognitio. Prædiſponens, ſeu remota, quâ poſitâ accidit morbus modò adſit alia excitans, derivanda à primitivâ conſtitutione fatalis hæreditatis pignore, à ſexu quando pubertatis ortu novum quaſi vitæ curriculum inierit homo, ſic magis inflammabiles viri, ſenſibilior muliebris ſexus, præſertìm inſtante ſingulâ menſtruationis periodo, præſente graviditate cujus in initio adeſt plethora generalis & vera, circà verò finem peculiaris & ſpuria, in puerperio ubi maxima debilitas, denegatâque amoris pignori, debitâ tamen proprii lactis communicatione ad putredinem proclivitas, urgente ſanguinei fluxûs, ſat certi illius poſſibilis fœcundationis monumenti, ceſſatione quam integrè factam excipit ad cacochymiam propenſio, ab ætate ſic in infantiâ debilitas, ſenſibilitas, minima ſuccorum digeſtivorum energia, adulti humores æſtuant, ſenex incedit debilis, rigidus, putrefactioni lento quidem paſſu graſſanti aptiſſimus; à temperamento, ſic in phlegmaticis nimia ſeri quantitas, in bilioſo nimia bilis acrimonia, in ſanguineo nimia purpurei laticis copia quam ut exerceri valeant functiones homini eſſentiales abſque ſanitatis detrimento, in melancholico, nimia generis nervoſi affectio: à peculiari denique quâdam conformatione: undè concludere eſt 1°. quænam ſint cauſæ occaſionales, proximæ, procatharticæ, à ſex rebus non naturalibus ità dirigendis ut ſtatui phyſiologico opponantur dedu-

cendæ 2°. ex infelici remotæ & occasionalis consortio resultare causam morbi interni efficientem, seu ut authores loqui amant continentem, 3°. necessariam admodum esse illius ultimæ cognitionem ut tutioribus debelletur armis, præcedentium proindè à nobis exaratarum ex quibus proficiscitur.

Symptoma est effectus partislæsæ, varium ergò prò parte læsâ, læsionis modo, functione cui inservit, sic præeunte face Physiologicâ, genuina morbi interni causa naturæ penicillo depingitur, antè habitis scrupulosâ cujuscumque à naturali statu diversi comparatione, diligentique causarum examine; sic vomitus ortus; nascitur à nimiâ ciborum ingurgitationè, saburrâ, irritatione, inflammationis, ponderis, ipsius etiam subjecti nimiâ sensibilitate donati effectu.

Therapeutice tractat de sanatione, sanatio autem est in sanitatem mutatio morbi, supponit ergò causam illius debellatam, media eidem opposita, perspecto igitur victoris genio, clara fiet victi natura, sic manus inter ignaras proindè audacissimas, prudentia-vè tentantes experimenta, felix specificorum administratio speculiare virus detegit cæteras eludens artis opes; toties innotescunt lues venerea, scorbutica, genuina morbi epidemici indoles: prospera menstrui, hæmorrhoidalisvè fluxûs, vel evacuationis cujuscumque suppressæ advocatio, ignotum anteà malorum fontem aperit, utili vel noxio tonicorum & relaxantium usu detegitur vera melancholiæ nerveæ species. Ità tantopere à præstantissimis practicis indicationes optimæ à juvantibus & nocentibus eruuntur, ità Hippocratis Angli nomine cohonestatus fuit Sydenhamus.

Quibus ex omnibus inferenda nobis videntur hæc sequentia 1°. unum quodque momentum à nobis exaratum inservire non nunquam posse cognitioni continentis morbi causæ, 2°. sæpissimè esse insufficiens, quinimò committendis erroribus accommodatum, 3°. sparsa omnia peritissimâ colligenda manu, sicque ad unicum quasi contrahenda centrum undè numerosi ejusdem veritatis emittentur radii; sic juxtà nos patet genuina inflammationis causa, cellularis textûs quoad aliquam partem magna irritatio unà cum indole phlogisticâ, suppurationis quæ consistit in exundante succo nutritio evectiori *animalizationis* caractere donato: cancri, adaucta scilicet in schirrosâ parte sensibilitas: legitima nobis videtur morborum malignorum divisio, in nervosos simplices, sivè à nimio systematis nervosi tono seu à nimiâ ejusdem debilitate, & putridos, idea rabiei juxtà quam est morbus malignus putridus cujus præcipuus fomes est salivalis latex, arthritidis cujus causa continens est sensibilitas maxima cum excessu terreæ substantiæ acri quodam humore solutæ, sic plana, fiet, ut speramus, nostra de febribus intermittentibus assertio.

III.

FEBRES perfectâ divisæ απυρεξια dicuntur intermittentes, dividuntur ratione intervalli singulum inter paroxysmum intercedentis, tempestatis anni ubi sæviunt, benignitatis malignitatis vè, prout sunt endemicæ, sporadicæ, epidemicæ, integra æconomia furoris fit æquè particeps vel in aliquam corporis partem ruunt quasi recollecto virium impetu; causas prædisponentes difficile assignabimus, phlegmatici tamen iis præcipuè videntur obnoxii, & qui jam eas fuerunt perpessi: occasionales sunt aer frigidus, humidus, sic endemicæ ubi talis spirat, epidemicæ vere & autumno, alimenta viscosa, non fermentata, potus aquosi, animi pathemata, suppressa quæcumque evacuatio naturalis vel morbosa: eæ causæ quartanas maximè arcessunt, irritabile verò temperamentum cùm irritante acri tertianas præsertim advocat.

Symptomatum series triplex, frigus, calor necessaria in hoc morbo frigoris sequela, sudor, sibi in hoc ordine succedentia, paroxysmumque constituentia;

per frigus lingua humida , alba , nauſeæ , urina tenuis , limpida ; pulſus parvus, frequens, concentratus, convulſivus, intermittens, reſpiratio cita, difficilis, anheloſa, pallor, tremor : in calore lingua ſicca , rubra, pondere afficitur cordis ſcrobiculus , urina rubra, pulſus fortis, reſpiratio non tam difficilis, rubor, calor & ſiccitas cutis quæ paulatim humeſcens magnâ mox ſeroſitatis copiâ irroratur , tunc urina rubra craſſa deponens ſedimentum vaſis parietibus adhærens , lateritiique caloris , ſic ſolvitur paroxyſmus.

Diagnoſis lapſu temporis cuicumque obvia , in primo autem paroxyſmo difficillima , ſtabiliri non nunquam poſſet præcedentibus anxietate , hypocondriorum tenſione , levi horrore , debilitate mox fugitivâ , animi triſtitiâ , urinarum pelluciditate , epidemiâ ; ferè autem impoſſibilis cuicumque variam intermittentem cognoſcere cupienti , à Galeno tamen ità benè perſpecta ut cujus ſagacitatem effugit eum Medici nomine indignum habeat. Prognoſis variat prò variâ intermittentiâ, ſic præſtantes in arte viri tertianam quamdiù hunc-ce caracterem ſervat minimè lethalem fuiſſe aſſerunt , quartanæ vero longiſſimè durant, viſcerum abdominalium producendis obſtructionibus fiunt aptiſſimæ , leuco phlegmatiam , ſcorbutum ſæpiſſimè procreant ; ratione paroxyſmi ſymptomatum , ſic juxtà quoſdam & præcipuè Harveum frigoris inter inſultus febricitantes vitam derelinquere , conſtitutionis epidemicæ, temporis à quò jam durat morbus , cognitæ illius cauſæ. Curatio integra in initio minimè tentanda , juxtà Sydenhamum ſincerum naturæ interpretem expectanda materiæ morbificæ protritio febris ipſius-met viribus , typique nervoſi per ipſam immutatio & defatigatio , ſic plurimæ vernales abeunt , fugiunt epilepſia , cordis palpitatio , morbi hyſterici , & non raro intermittentes ſalutarium nomine decorantur : quandò verò tentatur, varias exigunt artis opes, paroxyſmus & ἀπυρεξία , in priori varia ſymptomata , in poſteriori intermittentis diſcrimen , tempeſtatis , temperamenti, epidemicæ conſtitutionis, cognitæ morbi cauſæ peculiaris, undè ut nihil nos effugiat bonum malumvè afferre valens, Medicinæ ſanatricis armamentarium adaperiemus hic expoſituri quando tale telum utiliter noxiè vè contorquendum. È triplici vero penu depromunt arma Medici, 1°. è Chirurgiâ , venæ ſectiones adhibentur quando frigus & calor ſummè evehuntur, viget inflammatio , in tertianâ non raro , quartanâ , rariſſimè equidem , quando plethora, juveniliſque æſtuat ætas , nocent in cacochimicis , omnibus ferè febribus autumnalibus, levique furore apparent paroxyſmi ſymptomata : conducit præcipuè fluxus hæmorrhoidalis , uterinuſque , undè tàm utilem in noſtris febribus hæmorrhoidalium venarum aperturam habent Riverius , Sanctorinus , Haenius. 2°. E pharmaciâ , evacuantia inter , valet emeticorum uſus in paroxyſmo quando fatigant ægrum nauſeæ , faſtidium ciborum, oris amaritudo, ſaburram erumpere geſtientem denotant , in ἀπυρεξία , ſolius irritationis exiſtente ſuſpicione : ſudorifera & diuretica competunt in fine paroxyſmi , in autumnalibus præſertim, cacochimicis temperamentis , ante acceſſionem pluribus jam elapſis, nocent in vernalibus, ad continuas vergentibus , indole phlogiſticâ , ſudoribus nimiâ quantitate jam elicitis , ineunte quâcumque febre intermittente niſi ſic jubeat epidemica conſtitutio ; alterantia inter proſunt diluentia quando comitatur eas inflammatio , juvenes , plethoricos occupant , tertianæ ſunt, vernæ , autumnales in quibus exuſta bilis æſtivo calore fit acerrima, in paroxyſmi quocumque ſymptomate primiſque ἀπυρεξίας diebus , videtur ergò ubi non competunt , noxia vel utilis futura eſt calefacientium propinatio : valet narcoticorum uſus jam dudum exiſtente febre , vel etiam in illius primordiis quando frigus intenſiſſimum , ſymptoma vè aliud nimiæ ſenſibilitatis index , ſyſtematis nervoſi ſola occurrit tumultuatio , maxima ſudoris requiritur quantitas antè paro-

xyſmum, poſt emeticorum purgantiumque effectus, fugatam ipſammet febrim; ea fuit agendi methodus quam ſecuti fuerunt Galenus, Fernelius, Riverius, Sydenhamus, Wedelius, Boerrhaavius, Celeberr. Commentator Switenius, Huxamius: nocet in primis paroxyſmis, obſtructionibus infarcto abdomine, temperamento phlegmatico: kina-kina adhibeatur, quando jam dudum militant natura, & materia morbifica, niſi in certaminis initio occurrant ſymptomata opiatorum uſum expoſtulantia, irritabilior indoles, debilior, abſente etiam morbo, hiſ-ce diebus, hâc ipſamet horâ ubi ſi ſuperſtes recrudeſcere debuiſſet, nocet incipiente febri, exiſtente polucacochimiâ, in vernalibus, præſente inflammatione vel obſtructione: aſtringentia valent in morbo antiquo hoſpite, unico ſæpiſſimè typi nervoſi producto, nocent adventâ mox febre à quâ ſperanda viſcoſitatis protritio. Quid boni dè anti-ſpaſmodicis, aromaticis regioni epigaſtricæ admotis apud obſervatores legatur. 3°. E diætâ quæ eò tractanda modo ut varietur pro intermittentis genio, causâ, variis circumſtantiis, ægrique temperamento, ad hunc autem ſemper eſt dirigenda ſcopum, ut ſuperſint vires coctioni criſique perficiendis haud impares, vulgò arceatur in veteri febre, moxque fugatâ, quodcumque magnoperè irritans, digeſtivumque confortetur ſyſtema.

I V.

EX adumbratâ tali febrium intermittentium hiſtoriâ ſequitur theſeos veritas; patet enim cauſam earum continentem eſſe peculiarem generis nervoſi irritationem in regione epigaſtricâ reſidentem, cujuſque præcipuum ſtimulans eſt acris quædam materies regionem eamdem obſidens. 1°. Irritationis argumenta deducuntur à cauſis, repentinis ſcilicet animi affectibus, ut probat Switenius obſervatione puellæ quæ terrore ſuſcepto febre tertianâ fuit correpta, febris incremento temerariâ ſtimulantis cujuſcumque adminiſtratione, illius reditu imprudenti emeticorum & purgantium uſu, violento ve animi pathemate, ut conſtat obſervatione ejuſdem puellæ, in quam eâdem de cauſâ morbus idem majori ſæviit impetu, ſymptomatibus ſivè paroxyſmoantecedentibus, ut anxietate, tremore, ſubitaneâ debilitate mox evaneſcente, urinarum pelluciditate: ſivè eum comitantibus, ut frigore imminutæ circulationis minimè tunc comite, ſolo autem ſenſibilitatis effectu, ut accidit introducto per urethram cathetere, calculo membranaceam partem occupante, quid horridè inſolitum oculo vèl male cautâ imaginationis vi menti tranſmittitur; convulſivo arteriæ interrogatæ reſponſo, thoracis ſpaſmodicâ conſtrictione: ſivè febrim imprudenter ſuppreſſam ſequentibus, itâ Switenius juveni cui in tertianâ vernâ poſt ſecundum paroxyſmum datus fuerat cortex, vidit accidiſſe oſcitationem, pandiculationem, miros borborygmos, abdominis tumorem, aphoniam abſque ullâ pulſus immutatione alternis diebus circà illam horam quâ paroxyſmus ingruere ſolebat, itâ juxtà obſervationes apud Edimburgenſis Academiæ memoralia relatas imprudentem kinæ-kinæ uſum ſecuta fuit mira nervorum ataxia; à curatione quæ abſolvitur venæ ſectionibus, diluentibus, narcoticis, frictionibus anti-ſpaſmodicis, balneis frigidis, emeticis quæ nulla ſequitur evacuatio, purgantibus unà cùm ſudoriferis docente Sydenhamo, violentâ repentinâque animi percuſſione ſic quintus Fabius Maximus Conſul, commiſſo prælio febre quartanâ in acie liberatus eſt, bombardæ improviſâ exploſione virgo ſanata fuit tertianâ febre, alia quartanâ ſubitaneâ cymbræ ubi erat per aquas intruſione.

Undè patet cur febres illæ ſint pertinaciſſimæ mobiliſſimi temperamenti hominibus, vulgò eo minus intermittentiæ intervallum quo irritabilius earum ſubjectum, ſic

tertianæ in tempore verno maximè vigent, in acutas vergunt non raro, major in medicamentorum adminiſtratione cautela, juvenes occupant, quartanæ familiariores ſunt ſenibus, phlegmaticis, in hyeme, regionibus humidis, deſinunt in hydropem, ſcorbutum, in iis conducunt ſtimulantia quibus tamen audaciori hauſtu ſumptis earum fit in tertianam immutatio quotidianâ docente experientiâ, cur abſque ullâ evacuatione ſenſibili omnes febrium ſpecies debellet Peruvianus cortex tantoperè valens in ſyſtemate nervoſo roborando, & inordinatis illius motibus compeſcendis; cur denique earumdem febrium ope curentur ſæpe paralyſis, epilepſiæ, cordis palpitationes, frequentiſſimi ſolorum nervorum morbi.

2°. Irritationis ſedes probatur regio epigaſtrica, egregium illud ſympathiæ centrum, quaſique ſenſitivæ animæ thronus, ſymptomatibus, ſic frigus in digeſtione percipitur factâ venenorum, vèl cujuſcumque frigidi aſſumptione, urgente emeticorum & purgantium effectu, regionis illius ſuffocatione, curatione perficiendâ antiſpaſmodicis ſupra dictæ regioni appoſitis, inunctionibus quæ circà hanc aromaticis penetrabilitate ſummâ donatis inſtituuntur unguentis, ut docet Reverius, ſuiſque obſervationibus confirmat, kina-kina cæteriſque aſtringentibus ſuas in primariam humorum officinam vires exerere duntaxat valentibus.

3°. Præcipuum irritans acrem eſſe materiem regionem epigaſtricam obſidentem probant cauſæ ad hanc-ce generalem ferè omnes reducendæ, quidquid ſcilicet digeſtivi ſyſtematis robur imminuere valet: ſymptomata, in frigore etenim regionis de quâ mentio pondus, nauſea, vomitus, hypocondriorum, ſi ita loqui fas eſt, viſcoſa tenſio, ut innumerâ evincit obſervationum ſerie Riverius: curatione ab emeticis & purgantibus incipiendâ, revocatoque fluxu hemorrhoïdali, datis levibus aperientibus, & àmaris tùm intus, tum extùs adhibitis, bili ſive deficienti; ſive vitiatæ vicariis continuandâ, abſolvendâque digeſtionis virium incremento, unde tantoperè commendantur fermentati liquores parcâ equidem manu propinandi, exercitium præſertim in equo alternis viſcerum abdominalium ſuccuſſionibus præbens anſam, materiei proindè obſtructæ protritioni; tertiam propoſitionis noſtræ partem aſtruunt ſequelæ febrium imprudenter ſuffocatarum, ſic toties icterus, obſtructiones illius regionis, vèl malè ſanatarum, ſic vidit Swietenius in febre epidemicâ tertianâ neglectâ primarum viarum evacuatione morbum deſiiſſe in diarrhæam putridiſſimam corruptionis indicem mortique præcurſoriam, ſcrupuloſa diæta purgantibus cautè immixta cujus vinculis necti debet à talibus febribus reſurgens, ſic alimenta confortantia, facillimè digerenda, benigno imbuta ſucco nutritio, minimâ quantitate in eodem præcipuè paſtu aſſumenda jubet Medicus, apertura denique cadaverum, ſic tam ſæpe reperiuntur obſtructa, ſplen, meſenterium, pancreas, colon inteſtinum, ventriculus, viſcoſâque obducta materie, ut teſtatur celeberrimus Morgagnus (1), longiuſque patebit lectione Mangeti tom. II. Bibli. Med. Pract. à pag. 425 ad 429 ubi legimus obſervationes Sylvii, Graaf, Thomas Bartholin, Piſonis, Heuernii, Hollerii, Ballonii.

V.

PRO noſtrâ militant opinione analogia, & authoritas, 1°. Analogia, ſic quædam intermittentia quando per os vèl inteſtina criſim molitur natura, in cholerâ, iliacâ paſſione, colicâ pictonum, ſic febres bilioſæ, & ardentes præcipuum habent fomitem in regione epigaſtricâ, quod dè ultimâ probare operæ prætium eſſe ducimus pauciſſimis equidem verbis; bilioſi iis præcipuè corripiuntur, calidior aer, ſpirituoſi liquores, acerrima aſſumptorum indoles, violentiſſima animi

(1) Tom. II. de morbis Thoracis, epiſt. 20. in quâ refert idem à Cramero, & Hoyero obſervatum.

pathemata sævissimam hanc hospitem advocant, uruntur præcordia, tensione maximè dolorificà minimo de tactu exhorrent, exteriorem corporis habitum frigus occupat, flavo colore tinguntur oculi, urinæ tenues in ακμη, rubræ sunt cùm crassamento lateritio, detumescente earum impetu, nauseæ, integra appetitûs prostratio, inexhausta sitis fatigant ægrum, crisis fit copiosâ ejectâ bile sivè per superiora, sivè inferiora, unde aphorismus Hippocratis *febrem ardentem cholera solvit*, naturæ ars æmula, integra dirigitur ad regionem epigastricam intùs & extùs, incisio cadaverum eo morbo defunctorum declarat bilem acerrimam, inflammatam fellis vesiculam, gangrænosamque ventriculi partem ei adjacentem.

2°. Scriptorum authoritas, bilem tertianæ febris causam accusavit Galenus, in quotidianâ pituitam, in quartanâ atrabilarium humorem cujus fomitem posuit lien; Fernelius figit nidum febrium intermittentum circà stomachum, duodenum, & pancreas, idem sentiebat Helmontius, in glandulis abdominalibus sedem posuerunt plurimi, Riverius circà hoc ùt plurima Galeni sententiam explicat. Sylvius solum pancreas habet, eamdem amplectitur opinionem de Graaf. Apud Mangetum quando dè febre quartanâ agit sic se se explicat, *causa hujus febris est melancholicus humor circà naturalia putrescens*, idem refert consultationem à Joan. Micael prò febre intermittente datam, *subjectum causæ vix commodius concipi potest quam glandulæ stomachales intestinales, & mesaraicæ*. Sic ratiocinii, experientiæ, authoritatis interpretes concludimus:

Ergò præcipuus febrium intermittentium fomes regio epigastrica.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Sanctus-Ludovicus GUINDANT, *è Regiâ Scientiarum Societate Monspeliensi.*	*M. Antonius-Laurentius* DE JUSSIEU, *Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*	*M. Anna-Carolus* LORRY.
M. Philippus-Alexander BACHER.	*M. Joannes-Jacobus* NOLLAN.	*M. Bernardus-Nicolaus* BERTRAND.
M. Claudius-Andræas- GOUBELLY.	*M. Benjaminus-Michael* SOLIER DE LA ROMILLAIS.	*M. Stephanus-Ludovicus* GEOFFROI, *Regi à Consiliis & Secretis, & Societatis Botanices Florentinæ Socius.*

Proponebat Parisiis LUDOVICUS DES BOIS DE ROCHEFORT, Parisinus, Eques, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, necnon Theseos Author, A. R. S. H 1774. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1774.